



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitvlaria Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

Capitulare tertium anni DCCCX. sive capitula de instructione Missorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-19366

CAPITVLARE SECVNDVM ANNI DCCCX.

Nunc primùm editum ex veteri codice MS. sancti Vincentij Metensis.

ITEM DE ANNO X.

- I. DE tribulatione generali quam patimur omnes, id est, de mortalitate animalium & ceteris plagis.
- II. De prædicatione per singulas parochias.
- III. De evangelio, ut luceat lux vestra coram hominibus.
- IV. De omnibus vitiis & ebrietate fugiendum.
- V. De semetipso & sua familia uniusquisque corrigenda.
- VI. De orationibus in vicem faciendis.
- VII. De innocentibus occisis inquirendum.
- VIII. De clamatoribus, quomodo castigentur.
- IX. De beneficiis non bene conditiis inquirendum.
- X. De mendacio & perjurio cavendo.
- XI. De heribanno exigendo.
- XII. De pauperibus qui minimè solvere possunt.
- XIII. De freda exigenda.
- XIV. De his qui heresiz fecerunt, ut fidejussores donent.
- XV. De rebus & mancipiis, ut ante Vicarios & Centenarios non conquirantur.
- XVI. De latronibus, quomodo distringantur.

CAPITVLARE TERTIVM ANNI DCCCX.

S I V E

CAPITVLA DE INSTRVCTIONE MISSORVM.

Nunc primùm editum ex veteri codice MS. sancti Vincentij Metensis.

C A P. I.

VT tales sint Missi in legatione sua sicut decet esse ministros Imperatoris strenuos, & perficiant quod eis injunctum fuerit. Aut si non potuerint, Domino Imperatori notum faciant quæ difficultas eis resistat ne illud perficere possint.

I I.

Vt quicquid de ejus iussione cuilibet præcipere & commendare debent pote-

statiuè annuntient atque præcipiant. Et non sibi faciant socios inferioris ordinis homines, qui semper inde retro res qualescunque tractare volunt, sed illos sibi faciant qui ad effectum unamquamque rem deduci cupiunt.

I I I.

Quando iustitiam pauperibus facere iusserint, semel aut bis præcipiant ut iustitia facta fiat. Tertia vice, si nondum factum est, ipsi pergant ad locum & ad hominem

qui iustitiam facere noluit, & cum virtute tollant ab eo quod iniuste alteri tulit, & reddant illi cuius per iustitiam esse debuit.

I V.

Vt qui bannum Domni Imperatoris vel freda dare debet, accipiatur illa solutio, & ad eum inferatur, ut ipse tamen det cuiusque ei placuerit.

V.

Quicumque illis iustitiam facere volentibus resistere conatus fuerit, Domno Imperatori annuntiet. Similiter quicumque contra iustitiam alterum in placito defendere voluerit, legitimam poenam incurrat, cuiuslibet homo sit, sive Domni Imperatoris, sive cuiuslibet filiorum & filiarum vel ceterorum potentium hominum.

CAPITVLARE PRIMVM
ANNI DCCCXI.

S I V E

Capitulare interrogationis de iis quæ Karolus Magnus pro communi omnium utilitate interroganda constituit.

DE INTERROGATIONE DOMNI IMPERATORIS
DE ANNO XI.

In primis separare volumus Episcopos, Abbates, & Comites nostros, & singulariter illos alloqui.

CAP. I.

Quæ causæ efficiunt ut unus alteri adiutorium præstare nolit, sive in marcha, sive in exercitu, ubi aliquid utilitatis defensione patriæ facere debet.

II.

Vnde illæ frequentissimæ causationes, in quibus unus alteri querit quicquid patrem suum viderit possidentem.

III.

De eo quod quilibet alterius hominem ad se fugientem suscipit.

IV.

Interrogandi sunt in quibus rebus vel locis ecclesiastici laici aut laici ecclesiasticis ministerium suum impediunt. In hoc loco discutiendum est atque interveniendum in quantum se Episcopus aut Abbas rebus secularibus debeat inferere, vel in quantum Comes vel alter laicus in ecclesiastica negotia. Hic interrogandum est acutissime quid sit quod Apostolus ait *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus*, vel ad quos sermo iste pertineat.

V.

Quid sit quod unusquisque Christianus

in baptismo promittat, vel quibus abrenuntiet.

VI.

Quæ sectando vel negligendo ipsam suam renuntiationem vel abrenuntiationem irritam faciat.

VII.

Quod ille bene in Deum non credit qui præcepta eius impune se contemnere putat, vel qui ea quasi non ventura despicit quæ ille comminatus est.

VIII.

Quod in nobis despiciendum est utrum verè Christiani sumus. Quod in consideratione vite vel morum nostrorum facillimè cognosci potest, si diligenter conversationem coram discutere voluerimus.

IX.

De vita & moribus pastorum nostrorum, id est, Episcoporum, qui populo Dei non solum docendo, sed etiam vivendo, exemplum bonum dare debent. Ipsi namque Apostolorum dixisse credimus ubi dicit: *Imitatores mei estote, & observate eos Philip. 3. qui ita ambulant sicut habetis formam nostram.*